Disputatio medica inauguralis de chorea ... / eruditorum examini subjicit Thomas Stokes Salmon.

Contributors

Salmon, Thomas Stokes. Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Edinburgi: Excudebant Adamus Neill cum sociis, 1796.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/bmvg3mss

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. Where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.







DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

CHOREA.

.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

CHOREA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu; et Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO

GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

THOMAS STOKES SALMON,

ANGLUS

SOCIET. REG. MEDIC. SOC. EXTRAORD.

Ad diem 24. Junii, hora locoque solitis.

E D I N B U R G I:
EXCUDEBANT ADAMUS NEILL CUM SOCIIS.

M DCC XCVI.

ADICAM OFTATURATES

HOREA

CONT. BREAK

AND RESIDENCE AND ADDRESS OF

and indicate the second was two of

DE COROLL HATRED SETER

promise a very live of the

Company Later Street Street Street

I SACTO YOU WELL TO

THE REPORT OF THE DISTRICT OF THE PARTY OF T

Santa Barbaras Philips

Manifest Land and Arthur

The state of the s

Marie La De of Portal

the state of the state of the state of the

Marie and Marie Marie and the Control of the Contro

VIRO SPECTATISSIMO,

JOANNI HILL, LL.D. S.R.S.E.

LIT. HUM. IN ACAD. EDIN.

PROFESSORI,

HANC DISPUTATIONEM,

SUMMÆ OBSERVANTIÆ

TESTIMONIUM,

D. D. C.QUE

THOMAS STOKES SALMON.

Andread Professional Professional

AND DESCRIPTION OF SERVICE

LUTTER COMMENT OF THE PARTY OF THE

ANOTHE TORE

Mannet A Trans dead

William Control of the State of

Man Markett Contract

- F. W. C. A. C.

THE PARTY SHADING STREET

CORRIGENDUM,

§ LIII. 2. Pro scarificanda, lege scarificandæ,

. 1 ,

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

CHOREA.

PROOEMIUM.

QUIN hic morbus veteribus cum GRÆCIS tum Romanis familiaris esset, satis firmi nihil novimus, quamobrem dubitemus; cum præsertim morbo comitiali, tetano, hydrophobiâ, hysteriâ, aliisque morbis, qui enormibus musculorum motibus, ex toto, vel saltem magna ex parte, consistant, haud rarò implicarentur.

DISPUTATIO MEDICA

II. Utcunque verò hoc (1.) sit, tamen, quantùm ex eorum scriptis, quæ ex edace vetustate et cæco barbarorum furore supersunt, colligere possumus, videtur, ei proprium non priùs fuisse nomen, quàm Galenus grandævus, qui, Trajano, Adriano, et Antonino Pio, Romæ deinceps imperantibus, floruit, Scelotyrben appellaverit.

III. Verùm, labente deinde paulatim RoMANORUM disciplina, ubi, pro virtute, pro artium medicinæque scientia, ignavia, ignorantia, et inscientia invasere; morbus, quem scelotyrben nominavit Galenus, communi ei nomine cum aliis morbis, qui musculorum spasmo consistunt, et quibus fanatici, simulato
deorum numine, plecti solebant*, comprehensus videtur.

IV. Postquam

* GEORGIUS HORSTIUS in Epistolis suis Medicinalibus, sect. vii. refert, se cum mulieribus quibusdam locutum, IV. Postquam in tantis tenebris erroris et inscientiæ, per multa secula, medici versati erant, clarissimum deinde Sydenhami illuxit ingenium; quo nitente, nova lux medicinæ affulsit; et exinde medici, naturâ morborum exploratiùs perspectà, eos cùm lucidiore disposuerunt ordine, tum in feliciores curandi rationes iverunt.

V. Præclarus hic (1v.) auctor, signis morbi, quem scelotyrben aptè nominavit GALE-NUS,

locutum, quæ quotannis Sacellum S. Viti, quod est in finibus Ulmensium, visitantes, ibidemque saltu cum perturbatione mentis eò usque sese nocte dieque exercent, donec ecstaticarum instar corruant: qua ratione sibi restitutæ videntur, ut parum vel nihil sentiant per annum integrum, usque ad Maii tempus insequens, ubi membrorum inquietudine, eò usque sese torqueri referunt, ut vicissim circa festum S. Viti ad prædictum locum, saltationis gratia, se conferre cogantur, &c.

NUS, quippe cùm inordinatis membrorum motiunculis consistat, enodatè enarratis, ei nomen choreæ Sancti Viti indidit*: sed hoc nomine haudquaquam comprehenditur is morbus, qui a Sennerto † chorea Sancti Viti aptiùs appellatur; a Galeno, enthusiasmus; a Sauvagesio ‡, tarantismus enteneasmus; a Platero, saltus Valentini ac saltus Viti. His enim nominibus significatur fanaticus saltandi furor ||, quo de religione insanientes olim solebant dementer aut simulatè commoveri.

DEFINITIO.

- * Vid. Sydenham. Schedul. Monitor. necnon Process. Integr.
 - + Vid. SENNERT. Lib. I. P. ii. cap. xvii.
- ‡ Vid. SAUVAG. Nosolog. Method. Class. viii. Gen. xv.
 - || Vid. SAUVAG. ibid.

DEFINITIO.

VI. Descriptiunculam choreæ luculentam, quam literis prodidit Sydenhamus, scitè compendifecit Cullenus his verbis: "Impu"beres utriusque sexus, ut plurimum intra de"cimum et decimum quartum ætatis annum
"adorientes, motus convulsivi ex parte volun"tarii, plerumque alterius lateris, in brachio"rum et manuum motu, bistrionum gesticula"tiones referentes; in gressu, pedem alterum
"fæpius trabentes, quam attollentes *."

SIGNA.

^{*} Vid. Cullen. Synops. Nosolog. Method. Tom. ii. Gen. li.

SIGNA.

VII. Quibus notis hic (vi.) morbus insigniatur, eas excerpere ex auctoribus, qui de eo fusè scripserunt, nobis in animo est; idcirco quòd nobismetipsis perrara, quæ hæ sint, observandi occasio oblata est: cùm enim nondum propriâ sapuerimus observatione, alienâ electè sapere oportet.

VIII. Scelotyrbe impuberes ferè solos, imprimis eos inter decimum et decimum quartum annum adoritur. Modò mares petit, modò fœminas; sed has sæpiùs. Eâ plecti solent, præ cæteris, puellæ, quæ solitò tardiùs pubescunt, quarumque menses justo seriùs proveniunt, vel, postquam provenerint, parcè fluunt, neque æquali redeunt circuitu.

IX. Morbus, de quo disseritur, in contractionibus musculorum consistit, quæ, partim volente ægro, moventur, partim nolente aut invito.

X. Initio, plerumque brachium et crus alterutrius tantùm lateris inordinatis hujusmodi (1x.) motiunculis agitantur, ob quas tamen æger hæc membra, ut antea, quò velit, movere nequit. Si enim ambulare aggrediatur, gressu vacillat, et in morbidum inclinat latus, neque, quem petit, locum recto cursu potest attingere. Quinimo, ori interea manus applicare nequit, nisi post multos conatus inanes, et motiunculas lusorias, quibus ipse pueriliter delectari videtur.

XI. Etiamnum autem musculi, qui voluntati obtemperare solent, ægro volente, contrahuntur et relaxantur sic, ut optatum quadantenus faciant. Verùm inordinate tamen moventur, ventur, multoque, quàm solent ii sani hominis, rapidiùs et festinantiùs.

XII. Increscente verò morbo, hi (x1.) musculi ægriùs, quid velit ægrotus, ægriùsque
faciunt. Secùs profectò, ac jussi, moventur;
imò etiam, nolente ægro et invito, huc illuc
agitantur, raptimque convelluntur; quàm aliter ac initio, quando ferè nunquam voluntatis
injussu in motus ciebantur.

XIII. Nunc, morbo longiùs patente, non caput modò, sed etiam truncus, corripitur; et, potissimùm si gravis sit, facies, præ inordinatis musculorum motiunculis, risu Sardonio diducta, astantium risum haud rarò movet. Hujusmodi motiunculæ loquendo augentur; et, porrò, adeo tremiscit lingua, ut, quid dicat æger, astantes, etiamsi arrigant aures, nequeant intelligere. Quinetiam, inferior interdum maxilla, præ spastica musculorum rigiditate,

giditate, superiori adeo apprimitur, ut haud multum absit, quin æger trismo corripiatur.

XIV. Morbo sic (XIII.) increscente, alia interea signa apparent, ex quibus, nervorum genus malè se habere, satis supèrque cognoscitur. Membra etenim, in quibus consistit morbus, aliquatenus resolvuntur: quam ob rem, crus lateris affecti a claudicante ægro trahitur potiùs, quàm attollitur; et brachium, ut solet paralyticorum, ex humero dependet. Protracto, porrò, morbo, fatuitas supervenit; neque profectò rarò perstat, postquam membra agitari prorsùs cessaverint.

XV. Inter somnum, inordinatæ motiunculæ plerumque consopiuntur: attamen non semper; nam, increscente morbo, somni multùm turbantur, imò etiam interdum subitò excutiuntur. XVI. Pulsus arteriarum aliquanto imbecilliores solito sunt, neque, ut sani solent, æquales; at cætera naturales.

XVII. Quamvis functiones naturales plerumque tales sint, quales eorum sunt, qui commodâ valetudine fruuntur; tamen interdum æger neque cibum, ut solebat sanus, appetit, neque assumptum concoquit.

AVIII. Ægritudo universi corporis rarò adest. Interdum verò cutis membrorum, quæ infestat morbus, perpruriscit et formicat. Nonnunquam etiam æger vertigine, gravitate præcordiorum, languore, lassitudine, afficitur, aliisque malis, quæ debilitatem significant universi corporis. Quoties verò gravioribus his malis æger opprimitur, est, quamobrem, morbum ex verminatione vel intestinorum sorde oriri, opinemur.

XIX. Hunc morbum plerumque, cùm recens est, in pueris veneris, in puellis menstruorum, initium tollit. At nonnunquam tamen, inefficace ad tollendum naturâ, et invalescente simul consuetúdine, ne tum quidem ad sanitatem ægri perveniunt; sed miserum diu, imò usque ad mortis diem, spiritum trahunt, tam mente imbecilles quàm corpore.

XX. Quinetiam, cerei adeo cùm in morbos tum in vitia flecti, sunt infirmi corpora homines, ut, præ mirifica ad imitandum propensione, in morbos, qui inordinatis musculorum motibus consistunt, aspiciendo oculis eos jam correptos facilè rapiantur. Quare, nonnunquam, ut ferunt medici, quibusdam locis et anni temporibus chorea tanquam pestiferè pervagatur.

DIAGNOSIS.

XXI. Hic morbus, pro ullo ex iis, qui ordine ei conveniunt, haberi vix potest. Signis enim et Culleniana definitione memoriâ retentis, nemo quisquam medicorum, nisi propter imprudentiam inscitiamque, potest in errorem labi.

CAUSÆ REMOTÆ.

XXII. Seminia, ex quibus enascitur hic morbus, haud secùs ac ea ex quibus alii plerique, in duo describuntur genera: quorum unum complectitur causas, quæ opportuna morbo corpora faciunt; alterum eas, quæ, in corporibus

corporibus jam opportunis, morbum concitant.

De utroque genere panca dicenda sunt.

PRÆDISPONENTES.

XXIII. Ex causis, quæ proclives in choream homines reddunt, imprimis memoranda
est nimia irritabilitas; quæ ipsa, in debilitate
quadam et mobilitate cerebri et nervorum
consistit.

XXIV. Cùm chorea sæpe antè, at nunquam ferè pòst accidat, quàm homines pubescant; est, quòd credamus, mobilitatem, unde in eam proni sunt homines, quadantenus consistere in conditione corporis, aut animi, aut utriusque, quæ impuberibus propria est. Pubescente enim corpore, partes quædam evolvuntur, quarum maturitas ad secundam valetudinem tudinem prorsùs necessaria est. Quapropter, si alicunde obstetur, quò minùs hæ partes temporè egerminent et explicentur, alii atque alii morbi accidunt; qui pubertate solent evanescere, et quorum signa mitigari iis medicamentis, quæ, ut maturescat corpus, efficiunt.

XXV. Inter morbos, qui a tardata (xxiv.) pubertate proficiscuntur, enumeranda chorea est. Genitalibus enim non tempestivè evolutis, propter defectum stimuli, quem dare solet eorum maturitas, homines non juvenescunt, at toto languescunt et flaccescunt corpore, neque prosperà possunt frui valetudine.

XXVI. His (xxv.) cognitis, concludere forsitan liceat, sicut, præ testibus non constituto tempore evolutis, neque fæminæ menses profundunt aut amoris jucunditate perfunduntur, neque mares, libidine flagrantes, venerem solicitant,

solicitant, sed toto animo utrique marcent, totoque corpore; ita, ob eandem causam, præ iis sibi annis æqualibus, mobiles esse, ideoque in choream proclives.

XXVII. Alia autem, qualiacunque sint, quæ irritabilitatem aut mobilitatem augent, in qua proclivitas ad choream consistere videtur, iis sanè annumeranda sunt, quæ aptos, quos invadat hic morbus, homines faciunt. Nam interdum complures ante annos chorea implicantur homines, quàm ad pubertatem pervenerunt, et etiam, quòd autem multò rariùs accidit, complures post. Quoniam verò multo sæpius eò temporis incipit, quando in co solent esse homines, ut pubescant; inclinant animi, ut, quæ (xxvi.) diximus, ea saltem multos in se veritatis habere numeros, opinemur.

XXVIII. Si conceditur, proclivitatem in choream in nimia corporis irritabilitate consistere, in promptu erit expedire, quamobrem fœminæ, quàm mares, eâ sæpius corripiantur. Præ enim majore et animi et corporis mollitia, magis irritabiles sunt, et in motus inordinatos faciliùs rapiuntur.

EXCITANTES.

XXIX. Quæ choream concitent, ea sunt, quæ, rectà minùsve rectà, cerebrum et nervos vehementer vel incitant vel sedant.

XXX. Illius (xxix.) generis sunt motus animi nimii neque rationi obtemperantes, ira nempe, æstus, intemperata lætitia, metus et terror. Quinetiam, hunc morbum interdum concitant ea, quæ cerebrum aut nervos quomodocunque

modocunque lædunt aut irritant; vulnera, nimirum, vel aliæ injuriæ capiti illatæ; tumores ipsum cerebrum gravantes; humores quilibet acres intra cranium contenti; vasa, denique, ipsius cerebri nimio distenta sanguine.

XXXI. Hujus (xxix.) generis sunt ea, quæ cerebrum, aliarum quarundam partium interventu et consortio, afficiunt. Ad hoc pertinent vermes, aliaque quælibet, quibus irritantur intestina; calculi vel in renibus, vel in urinæ meatibus, vesica aut fistula; dentitio tarda et difficilis; cruditas, denique, ebrietas, et his, quod ad effectus, consimilia.

s despired fall beringer to

NATURA MORBI.

ga, demque, Spains cereb.

XXXII. Convenit nobis cum Gregorio, qui, dum audientibus naturam choreæ quotannis disertè exponit, censet, convulsione musculorum simulque resolutione nervorum consistere. Signis enim perpensis, videtur esse nobis, quare ita prorsùs opinemur; quippe cùm nonnullis ex his convulsionem simulet, resolutionem autem aliis. Rem ita esse, ostendere neutiquam arduum erit.

XXXIII. Induximus in animum, choream commune sibi cum convulsione musculorum aliquid habere; idcirco quòd motus, quibus choreà affectorum membra agitantur, tametsi tremoribus sæpissime similes sint, aut celeribus motiunculis a debilitate proficiscentibus, quibus

quibus valetudine infirmorum musculi raptim subsiliunt, tamen validas et involuntarias contractiones musculorum, quorum motibus imperitare solet voluntas, haud rarò referant: quòd contractiones musculorum, quibus deformatur facies, nonnunquam spasticæ sint: denique, quòd, quoties ita est, os, secùs atque id paralyticorum, latus morbidum versus detorqueatur.

XXXIV. Esse quandam simul choreæ cum resolutione nervorum similitudinem, ideo opinamur, quia, in utrisque morbis, musculi flaccidi fiunt et perimbecilli; quia ex uno ferme latere, et eo, ut putat HAENUS, sinistro, laboratur; denique, quia persæpe ægri aliquatenus mori sunt.

XXXV. Causa, ex qua, tanquam ex communi stipite, enascuntur omnia choreæ signa, cùm ea scilicet, quibus convulsionem (xxxIII.)

musculorum refert, tum ea, quibus simulat nervorum (xxxiv.) resolutionem, est, ut nobis videtur, debilitas universi corporis; quæ partim in minuta vi seu efficientia cerebri consistit, partim in nimia irritabilitate musculorum. Hinc proficiscuntur validæ et involuntariæ contractiones musculorum: illinc fatuitas; et tremores, seu inconstantes motiunculæ, quæ, licèt desultoriæ sint, tamen initio non, ex toto, obstant, ne membrum, quò velitæger, iteratis compluries conaminibus moveatur.

PROGNOSIS.

XXXVI. Bonus choreæ eventus plerumque expectandus est. At in quoque ægro considerandum est, qua ætate sit; quibus ex cau-

sis se malè habere inceperit; denique, num morbus gravis sit, numque inveteraverit.

XXXVII. Si chorea impuberes affecerit, plerumque, obrepente adolescentia, ad sanitatem pervenit. Sin adolescentes invaserit, ægriùs curatur; imò etiam, parùm valente medicinà, usque eò sæpe inveterascit, ut extremo tantum die finiatur.

XXXVIII, Cùm hic morbus provenerit ex causis evidentibus, quas tollere possit medicina aut chirurgia, vermibus, scilicet, dentitione, et consimilibus, bonum ideo est; quòd, his summotis, haud multò pòst æger ad sanitatem perveniat.

XXXIX. Qualis, porrò, eventus expectandus sit, aut timendus, ex animadversis signis potest potest judicari. Quoties enim contractiones fiant leniores atque rariores, et voluntati plùs plùsque obtemperent; erit, profectò, quamobrem, morbum inclinare, et optatam sanitatem in eo esse ut redeat, nos spe consolemur.

XL. Cæteris rei nostræ partibus pro facultate absolutis, tantùm restat, ut curationem, quæ plerumque optatò pervenit ad frugem, quàm paucissimis exponamus.

MEDENDI RATIO.

XLI. In diversas choream curandi vias, imò contrarias, processerunt medici; quæ enim his probatur, eadem illis displicet. Neque profectò hoc mirum est; cum præsertim, quam

quam quisque de ejus natura opinionem comprehenderit, ita suam et accommodatam medendi exposuerit rationem.

XLII. Cùm ita (XLI.) sit, qui choream ex morbis esse, qui inflammationem habent, et tantummodo eos tentare, quibus in hanc proclivitas est, opinati sunt, ii imperârunt illâ implicitis, ut sedulò abstinerent ab omnibus, qualiacunque essent, quæ corpora plusculùm incitarent, simulque sanguine deinceps et alvo iterum iterumque elicitis deplerentur; rati enimvero, hac curatione eos optimè perduci ad sanitatem *.

XLIII. Contrà, ii, qui rectiùs putant, hunc morbum in debilitate quadam universi corporis ferme omnino consistere, melioribus avi-

bus,

^{*} Vid. SYDENHAM.

bus, suadent abigere medicamentis, ex iis, quæ, ad totum hominem firmandum, plurimum pollere periculo medici comperti sunt.

XLIV. Verùm mediâ, ut nobis videtur, curatione tutissimè itur; quippe quæ neutrò nimis inclinans, optatum utriusque auxilium afferat.

XLV. Si enim morbus inceperit ab indiciis, ex quibus patet opportunum inflammationi esse corpus, vel quæ hoc sanguine nimis repletum significant; opus sit, ut præcepit Sydentamus, curationem initium capere ab exinanitione (xlil) corporis, ad signorum gradum prudenter accommodatâ.

XLVI. Quòd si, ut nobis videtur, chorea plùs in debilitate consistat, quàm inflammatione,

tione, neutiquam conveniet ægrotum multûm deplere, cûm præsertim plurimum hinc detrimenti capiat. Si alicui sanguis abundat, alvum, quâm sanguinem, elicere meliûs est; quippe cûm minûs debilitet, neque tam subitò et vehementer vasa depleat, quibus in circuitum movetur vitalis humor. Siquando sit, quamobrem sanguis potiûs detrahatur, non ampliûs una vice detrahendus; quia, præterquam quôd iterûm terve detractus vires insigniter labefactat, committit, ut sanguis plûs plûsque abundet.

XLVII. Alia autem medicamenta, ad opinionem morbi, quam accepimus, meliùs accommodata, ad genus eorum pertinent, quæ spasmum solvendi aut corpus roborandi facultate pollent.

XLVIII. Medicamenta, ex iis quæ spasmum (xLvII.) solvunt, idonea esse, quæ choreà laborantibus proficiant, patet ex similitudine hujus cum aliis morbis, qui ad spasticum utique genus pertinent. Quocirca, alia atque alia, quæ hac virtute pollent, opium, videlicet, camphora, valeriana, asa fætida, aliæque gummes fætidæ, flores cardaminis pratensis, cicuta, belladona, et consimilia, adhibita sunt vario successu.

XLIX. In usu hujusmodi (xLVIII.) medicamentorum aliquandiu perseverandum est. Quinetiam, incipiendum ab exigua dosi est, præcipuè eorum, quorum nimietas ægrum in vitæ discrimen inferret. Quoniam autem eadem dosis minùs pollet compluries repetita, paulatim augeri debet.

L. Medicamenta

- L. Medicamenta (XLVII.) roborantia ea sunt, quæ, ut periculo compertum est, ad vigorem corporis redintegrandum plùs minùs valent. Hoc genere comprehenduntur cinchonæ cortex, præparata e ferro, frigidarium, aliaque his, quod ad effectus, assimilia; quæ, ut experti sunt medici, contra choream permultum pollent.
- LI. Præter ferrum, ex quo (L.) præparata ad choream sanandam efficacia sunt, fossilia quædam alia ad idem valere a medicis feruntur, flores nempe zinci, cuprum ammoniacum, hisque virtute assimilia; quæ, siquidem profecerint, roborandi, qua pollent, facultate valuisse nobis videntur.
- LII. Ignem electricum, utpote qui insigniter incitet, choreá affectis multum itidem profuturum, verisimillimum est; et, nobis judicibus,

judicibus, medici debent, quid valeat, experiri, vel ex membris malè affectis scintillulas eliciendo, vel eadem leni icendo fulmine.

LIII. Interdum possumus judicare, quæ medicamenta plurimum valeant, ex causa morbi vel liquidò cognita vel saltem suspiciosa.

cheng cortex, præparata e ferro, Ingidarnum,

1. Si enim est, quòd suspicemur, morbum próficisci ex verminatione, cruditatibus, aut sordibus, tunc est, quare devoranda, præ cæteris, curemus medicamenta, ex iis quæ aut vomitum vel alvum movent, aut vermes necatos vel vivos alvo facessunt.

2. Quòd si, ut infantibus sæpe accidit, chorea concitata est dentitione, scarificanda, primo quoque tempore, gingivæ sunt; et assumenda

sumenda simul medicamenta, ex iis quæ corpus irritationi minùs opportunum faci-

quie salutarem inflimis corporibus vigorens

- 3. A. Si satìs firmi quid videmus, cur, choream oriri, ut interdum accidit, ex genitalibus tempestivè non evolutis, credamus; et si fœminæ, quibus membra hoc morbo agitantur, primulos menses constituto tempore non profundunt, sed malaciâ flaccescunt; opus, enimvero, erit, quamprimum medicamenta, siqua sunt, adhibere, quæ committant, ut proveniant pubertas et menses.
- B. Hunc in (LIII. 3. A.) finem, a medico præcipiendum ægrotis est, ut ad omnia confugiant, quæ corpora firma et robusta reddant. Hujusmodi sunt diæta nutriens, at levis et concoctu facilis; exercitatio quotidiana, at lenis; temperata conviviorum hilaritas;

ritas; prima nocte se ad lectum conferre, primaque luce e lecto surgere; frigidarium, medicamentaque suprà (L.-LII.) memorata, quæ salutarem infirmis corporibus vigorem impertiuntur.

charging order un interdum atteids, of geni-

FINIS

menta, siqua mue, adhibero, quie committant,

B. Hund in (cur. 2. 4.) finem, a medico



